



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1604

Martyrivm S. Et Gloriosi Martyris Longini Centurionis. Ex Commentario Simeonis Metaphr. Passus est anno Christi 34. Tiberij Imp. 18. sub Pontio Pilato. Vbi Baron. in Annalibus Apocryphum esse docet, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42667

siam secuta sit; cui etiam ut in vita, ita & in morte sociata est. Monumentum autem multis admodum miraculis clarum, eximiam virginis sanctitatem, etiam post mortem egregie testatur.

Miracula ad sepulcrum,

MARTYRIUM S. ET GLORIOSI MARTYRIS Longini Centurionis. Ex Commentario Simeonis Metaphr. Passus est anno Christi 34. Tiberij Imp. 18. sub Pontio Pilato. Vbi Baron. in Annalibus Apocryphum esse docet, Longinum cecum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit.

15. Martii.
Longinus
Centurio,
vnus eorum
qui in Christi-
stium saue-
runt.
Matth. 27.
Luc. 23.
Marc. 15.

Longinus, quem quidam vana opinione luminibus orbem fuisse scribunt, Centurio vnus eorum qui necem in vita auctorem Christum Dominum machinati sunt; ut patro scelere nefando, admiranda signa ac prodigia in ipsa Saluatoris morte conspicatus est; ac precipue quod Iesus voce magna clamans expirasset, discussis perfidia tenebris, & errorum fugata caligine, veritatis lucem intimis sensibus venerabundus admisit: ac publica confessione, voceque libera in medio Synagogae verum Dei filium contestatus est. Cum vero peracto resurrectionis mysterio, illustria valde miracula milicum animos in magnam admirationem traxissent, eademque sacerdotum Principibus cum ingenti stupore retulissent, illi dedecus & sempiternam ignominiae notam veriti, militum animos pecunijs muneribusque corruerunt, & Christi gloriam, quantum in illis fuit, mendacis & calumnijs obscurare conati sunt.

Longini
conuersio.

At Longinus vi veritatis impulsus, & salutari diuini numinis timore correptus, nefarium scelus de-

lus detestatus est, & Iudæorum perfidiam constanti animo refutavit, & clarissimum ubique testimonium de Christi veri Dei filij resurrectione dedit. Pilatus autem & scelerati principes, cum nullis eum promissis ad impias suas rationes adiungere possent, consilium cœperunt sceleris & invidentię plenum, quo eandem quam in Christum iam exprompserat in eum malitiã moliebatur. Longinus autem cognito consilio fraudis & insidiarum pleno, duobus, egregiæ pietatis & in Christi amorem acriter inflammatis militibus comitatus, sprete militiæ dignitate, contemptis opibus, relictis Hierosolymis, in Cappadociam abiit, & cum voce tum virtute plurimos ad Christi confessionem adduxit. Iamque Christi gloria Longini opera longè latèque in ore omnium cum insigni Iudæorũ ignominia versabatur, cum nefarij datus ad Cæsarem literis orant obsecrantque, & vi etiam pecuniarum impellunt, ut Longinum pestem & exitium (ut ipsi nequiter fingebant) in Iudæos molientem, comprehendat, & pœnas, tanto scelere dignas, citissimè repetat. Cæsar acceptis literis, sine mora mortis eum sententia damnat: Pilatoque negotium dat, ut in iustum de homine supplicium sumat. Iudæi furore & amentia armati, ad eandem properant; cūque summa diligentia virum sanctum inquirerent, & in ipsum Longinum ignorantes incidissent, errore decepti, sermonem familiariter cum eo protraxerunt. Longinus tota mente & desiderio ad martyrij palmam aspirans, incredibili gaudio homines scelestos domo sua excepit, & cibo potuque resectos, quænam esset itineris causa, rogavit. Respondent illi sese Longinum quendam ad eandem inquirere; ut potè hominem

Longini
Confatis.
It in Cappadociam.

Cæsar morte eum condemat.

Inquiritur à militibus,

ad eadem. 954 MARTYRIUM S. LONGINI
nem maleficum, Cæsaris sententia morti destina-
tum. Tunc Longinus. Bono, inquit animo estote;
Ego enim vobis hominem sistam.

Interea vt duos sibi charissimos, tam præclari
ceraminis & gloriæ sempiternæ participes fa-
ceret, eos accersit, hortaturque, vt sine mora ad
coronam properent. Dùm hæc fiunt, Longinus
milites, pro beneficio quod ardenti cupiditate ex-
pectabat, summa beneuolentia tractabat. Cum-

Prodit se i-
psum iusto-
vobis Lon-
ginus.

que eos semel atque iterum magnificè accepisset,
postridiè illos ducens in agrum, cognouit diu ex-
pectatos aduentare socios. Tum Longinus ô mi-
lites, inquit, Longinum vobis à me prodendū ha-
ctenus expectatis? Ecce autem, ego, qui coram hic
asto, sum; Ego inquam sum Longinus. Milites ad
hanc vocem stupore oppressi, fidem verbis vix ad-
hibebant; cum tamen certis indicijs illum ipsum
esse intelligerent, verecundia & pudore victi, fa-
cinus, vt præ se ferebāt, detestati sunt. Hæc in di-
cebant, tibi hospitij mercedē rependemus? Quin
potius omnia suppliciorum genera subire parati
sumus, quam tales Longino referre gratias. Abi
ergo, accepta mercede hospitij, mortis remissio-
ne. Contra fortis & generosus Christi miles Lon-

Ad palmam
martyrii ve-
hementer
aspirat.

ginus nihil se ardentius sitire declarabat, quam
gloriosam pro Christo subire mortē. Vitā siquidē
hanc sibi mortem esse; mortem verò omnium
miseriarū fore finē, & ianuā vitæ ac beatitudinis
æternæ; frustra persuaderi sibi, vt quicquid faceret, quod
illius gloriæ detrimentū sibi afferre posset, quod
vidisset mundi elemēta mouentē. Nō ego eū nega-
uerim, inqueiebat, quod semel Dei filiū sū cōfessus.
Timeo ne creatā naturā inueniā accusatricē, si in
eū appareā infidelis, propter cuius passionē cælū
quoque ipsum est affectū tristitia & sol cōtradixit
radios

radios, & lux diei mirabiliter in noctem cōuerfa est. Si quid igitur vobis imperatū est, id implete. Dūm hæc diceret aduentātes socios amplexus est: & ruēs in oscula. d. inquit, Christi cōmilitones. o regni cælestis hæredes, quid moramur? Post hæc cōuersus ad famulū, Cito, inquit, candidam mihi vestē adfer; Decet enim ad nuptias vocatū, nuptiali & splendida ornatū veste incedere. Induta verò veste, & manu tumulo in quo corpus suū requiescere volebat ostenso, vtrumq; in terrā genu fixit, & milites cum eadem animi alacritate sequentes capitis abscissione palmam adepti sunt.

Capitis abscissione, cum duobus militibus martyrium complet.

Post hæc carnifices sanctissimū martyris caput, nefandi sceleris sui præmium Pilato detulerunt, qui illud iudeis vt placeret, per ignominia ante portas ciuitatis suspendi iussit. Sed benignissimus Iesus, pro cuius gloria martyr tāta alacritate sanguinem fuderat, insignem illi vicē rependit. Nā ipsum caput in sterquilinio proiectum, non modo ab omni corruptione & interitu præseruauit, sed alijs etiam per illud ipsum præclara beneficia sanitatis præstitit. Mulier quædam vidua, cum præter grauem & miserandam viduitatis calamitatem, cum oculorum etiam orbitate, in extrema rerum inopia vereretur, nec vllum in malis per fugium relicū sibi cerneret, statuit cū vnico quæ habebat filio, terram illam quæ Christi vestigijs pressa fuit, & sanctitate sua multis in rebus afflictis opem præbet, inuisere. Sed vix terram ingressa maiore calamitate premitur, nam & filio, cuius ductu vestigia firmabat, miserè orbatur. Quid tunc faceret mulier, in vasta solitudine relicta? Nullū aliud in malis remediū dabatur, q̄ assiduo mœrore & luctu miserandā orbitatē suā deplorare, ac querulis vocibus & votis Deū laceffere.

Mulier vidua calamitosa.

Visitat terram sanctā.

Ooo 4 Interim

Interim dum mæror & luctus soporem conciliant, vidit in somnis Longinum adesse, & singulari quadam orationis suavitate, Christi Salutaris supplicia & crucis ignominiam suumque etiam pro Christo certamen explicantem. Tandem verò subiunxit; Vade & caput meum multo fimo contactum, ad tuorum curationem oculorum obserua. Primo namque eius contactu, amissum oculorum lumen recipies. Porro ego insuper tibi filium adducam, cuius præsentia non modo omnes tristitiæ nubes fugabuntur, sed incredibili quadam voluptate perfrueris. Mulier vt primum euigilauit, concepta animo fiducia, ad locum designatum se perducere curauit, & sacrum è sordibus caput eruens, vna cum oculis carnis, clarissimum mentis lumen consequuta est. Deinde altera nocte Longinus iterum apprensus filium eius mirabili splendore fulgentem adduxit, dixitque; Cauè nè eos, tanquam miseros & calamitosos deplores, quos tanta gloria ornatos, & diuinum numen sempiterna prædicatione celebrantes conspicias. Sed vade, & meum caput cum corpore filij tui eadem arca conclude. & Dei bonitatem in Sanctis eius, debitis laudibus profequere. His dictis euanuit. Mulier autem sacra Sanctorum pignora in pago, cui nomen Sandiale, cum omni honore & celebritate condidit. In præsentiarum verò, venerandū eius corpus Romæ asseruatur, in ecclesia sancti Augustini.

Longinus
ei reuelat
caput suū.

Oculorum
lumen reci-
pit mulier.

Apparet ei
secundò Lō-
ginus, cum
filio eius.

Vide Cæf.
Baronium
In. Not.
Martyr. Rō.
Corpus S.
Longini, è
Cappadocia
Romam
translatum.